



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 122. Quæstio de Peccato originali præ ceteris discussa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

ficabant, quod interea pro discutiendis articulis commode conventus agi possit, ne temporis dispendium fieret. Annuerunt Cæsarei, spe freti, gravibus dubiis hinc inde motis negotium abs dubio longius protractum, vel forte omnino eversum iri, de cetero Toletanus tota hac æstate nil decidi voluit.

Sæcul XVI.
A. C. 1546.

§. CXXII.

Quæstio de Peccato originali præ ceteris discussa.

Cum igitur Legati non sine animi lætitia Oratorem saltem eo adductum cernerent, ut discutiendis fidei dogmatibus initium dari posset, die vigesima prima Maji, ac sequentibus plures coegerunt Conventus, in quibus quæstio de peccato originali proponeretur, ac proximum examen in quinque hosce articulos dividebatur. I. *De Natura Peccati originalis.* II. *De Modo, quo in posteros propagatur.* III. *De allatis ab eo detrimentis.* IV. *De ipsius remedio.* V. *Quænam esset hujusmodi remedii efficacia.*

Cum igitur de primo articulo ageretur, Pelargus Trevirensis Archiepiscopi Procurator affirmavit: *Peccatum originale situm esse in privatione justitiæ originalis, in qua antea Adamus fuerat a Deo constitutus.* Opponebat vero Canariensis

fis

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

sis Antistes, asserens, hujusmodi privationem haud quidem ipsum peccatum esse. Sed quamdam ipsius pœnam. Tum Angelus Paschalis Dominicanus, Motulanensis Episcopus, verbis ex D. Thoma productis ita edixit: *Non aliunde melius declarari potest natura originalis noxæ, sicut & cujusvis defectus, quam a natura perfectionis oppositæ: prout exempli gratia, ut intelligatur, quidnam sit cæcitas, opus est intelligas, quid sit videndi facultas: est ergo peccatum originale vacuitas quædam opposita illi perfectioni, quæ Adamum innocentem condecorabat, & Justitia originalis nuncupatur: oportet igitur ex illius notione illius naturam explicari.* Justitia originalis, agebat ille, duas obtinebat partes, alteram, quæ præcipua erat, & quasi forma, alteram, quæ ad integritatem spectabat, & quasi materia. Prior erat humani arbitrii subjectio sub legitimo Domino, qui Deus est; posterior erat itidem subjectio interiorum facultatum ipsi arbitrio, quod legitimus illarum Princeps est: desciscente hominis arbitrio per Adami peccatum a Deo, descivere quoque facultates arbitrio subjectæ: hæc posterior perturbatio, aliaque hominis damna in rebellantis arbitrii ultionem inflatæ, sunt quasi originariæ culpæ materia; prima vero perturbatio, quæ non pœna, sed culpa fuit, est forma, qua ipsius natura constituitur. His prolatis alius quidam Epi-

Episcopus ex eodem sacro Ordine aliam S. Thomæ doctrinam in medium protulit. Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. CXXIII.

De Peccato originali ab Adamo in nos propagato.

Circa secundum articulum major erat *Pallav. n. 5.* opinionum varietas; agebatur enim de modo, quo hoc peccatum ab Adamo in nos transfundi possit: hanc in rem Joannes Fonsæca Castellomarinus, seu Stabiensis Antistes ita sententiam suam exposuit: *Hujus noxæ propagatio in posteros, a quibus voluntarie commissa non est, declarari facile potest Regis exemplo, qui oppidum ita concesserit alicui subdito, ut illud tam ipse, ejusque posteri beneficiario jure possideant, dummodo is a fide Principis non desciscat: ubi enim ille desciverit, oppidi possessione spoliatur universa ipsius progenies nec idcirco huic conqueri licet pœnam sibi non juste inflictam; cum potius deberet Principi grates agere, qui ob factam primo Parenti liberalem donationem oppidi, posteros omnes illius hæreditariæ dititionis capaces reddiderat. Hujus beneficiarii dominatus similia fuere decora Justitiæ originaria, quæ Deus liberaliter Adamo contulit, eorumque spoliatio est macula originalis.* Hoc exemplo nonnullis visum est haud plane satisfieri propositæ declarationi; illud enim,
aje-